UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

Hyterologia, seu, υςερολογια.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

Iuncta fuit?
Additur enim, Tu nullus alioqui, illum autẽ magnum in canendo. Et,

— non ego Daphin
Iudice te metuam.

Qui, ſcilicet mihi iniquus es, & non rectè iudicaturus. Latinè dicitur pronuntiatio.

Hypomone.

Et παράδοξον, quo ſuſpenduntur auditorum animi. Ariſt. Rhet. lib. 3.

Hypoſtaſis.

Eſt præſtantia quædam animi, & fiducia orationis. Vt, ἐξήλεγξα τὸν φίλιππον φανερῶς οὕτως, ὥστε τοὺς ἐκείνου συμμάχους, αὐτοὺς ἀνισταμένους ὁμολογεῖν. Hermog. περὶ ἰδ. libr. 1. p. 283. Redarguit Philippum tam apertè, vt eius ſocij exurgentes faterentur.

Hypozeuxis.

Iul. Ruf. p. 30. Eſt, cum ſingulis rebus, ſententijſque ſingula debita verba iunguntur: vt,

Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex.
Fraxineaque trabes, cuneis, & fiſſile robur
Scinditur, aduoluunt ingentes montibus ornos.

Et, *Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis,*
Glande ſues redeunt læti, dant arbuta ſylua.

Et, *Varios ponit fœtus autumnus, & alte*
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.

Hæc figura latinè vocabitur ſubiunctio, vel ſubinſertio, vel ſubnexio,

Ὑστερολογία.

Beda Presby. p. 350. Vel, ὕστερον πρότερον, eſt ſententia cum ordo in verbis mutatur: vt,

Torrere parant flammis, & frangere ſaxo.

Et, *Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit*

Prius enim franguntur fruges, & poſtea coquuntur, & ante ad æquora venit, & ſic tetigit fluctus. Tale eſt, & illud. Hic accipiet benedictionem à domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Prius enim dominus miſerando iuſtificat impium, & ſic benedicendo coronat iuſtum.

Hanc figuram peculiarem Homero fuiſſe indicat M. Tullius ad Attic. ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς.

Icon.

Fit cum perfectæ formæ ſimiles conferuntur. Iul. Rufini. p. 28.
Virg.

Talis amyclei domitus Pollucis habenis.

Cicero de L. R. Mare quod ſua natura tranquillum ſit, ventorum vi agitari, & conturbari ſolet: ſic populus Romanus.

Ironia.

Simulatio. Frequentiſſima apud oratores, qua figura aliud verbis ſignificamus, aliud re ſentimus. A quo genere figuræ proœmium Aqui. p.
pro Ligario ſumptum eſt: Nouum crimen 14.
C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum, & cæt.

Ironia, ſententiæ figura, quàm hoc modo enuntiabo: hic enim egregius author communium commodorum, cuſtos, & defenſor idem p. 17.
reip. ſalus, & columen ciuitatis, de quo contraria, ſcilicet intelligi velim. Mutabo verba ordine eorum verſo, vel tota locutione aliter explicata, ſic: namque iſte cuius ope, & auxilio, videlicet ciuitas nititur. Manet vtique Ironia eadem, neque læditur verborum immutatione. At verò ſi figura elocutionis ſit, quam repetitionem, Græcè ἐπαναφορὰ vocamus, quæ eſt huiuſmodi. Ille author diſcordiarum, ille dux ſeditionum omnium, ille tumultuoſus proditor in bello: & illam partem orationis repetitam ſæpius in initio membrorum, aut cæſorum ſuſtulero, & tantum ſemel dixero, ſubiungens, &c. hoc modo: ille, qui ſeditionum author, diſcordiarum concitator, in pace tumultuoſus, in bello proditor fuit: figurã elocutionis ſuſtuli. Nonnunquam autem, imo plerunque concurrere poteſt, vt ſententiæ figura coniungatur cum elocutionis figura: qua hoc modo enuntiatum eſt: Ille amator patriæ egregius, ille reip. cuſtos, ille defenſor libertatis, ac legum. Cum hoc de eo dicatur, de quo contraria intelligi volumus, & Ironiam eſſe, quæ figura ſententiæ eſt, & epanaphoran, de qua, cum maximè diximus, quæ eſt elocutionis. Nunc ad inſtituta pergamus. Sunt igitur figurarum elocutiones aliæ, ad ornandum tantum, & quaſi ad pingendam orationem accommodata: quibus princeps Gorgias Leontinus vſus eſt, ſed ſine modo. Et ideo illius oratio, quæ initio audientes nouitates permouerat, faſtidium meruit. Iſocrates autem, poſt eum parcius, necnon etiam ipſe Demoſthenes, ſed tanta moderatione, vt nuſquam in tædium incurras.